



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exhortationes|| Ad|| Religiosos

Dirckinck, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1704

Reg. 26.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51834)

si Regem exciperet, nullâ tamen
mollitie pararetur; quem quiescendi
necessitas sola, non tam ad dormiendum
quam ad plorandum elegerat? Talis
ergo Servorum Dei sit lectus, oportet;
qui sua austeritate & paupertate, non
ad lascivendum, sed ad moderatissimè
quiescendum præparetur; & aspi-
cientibus, non femineæ mollitiei,
sed venerandæ paupertatis indicium
præbeat.

Itaque, Dilectissimi, hæc tria, quæ
commemoravimus, in victu, vestitu, &
lecto, exemplo Christi & S. Parentis
nostri, aliorumque Virorum à Societate
nostrâ illustrium, confectemur, &
conversum, mollius tractare.

REGULA XXVI. DE LÆSIONE PAUPERTATIS. EXHORTATIO

IN EANDEM;

Declarat, nihil dandum aut accipiendum absque Superio-
rum facultate.

T H E M A.

Simile est Regnum Cælorum thesauro abscondito in agro.

Matth. 13. 44.

Vel. Mutuò dare aut accipere minimè possunt. Reg. 26.

Verba illa oris Redem-
ptoris nostri Matth. 13.
prolata: *simile est
regnum cælorum thesau-
ro abscondito in agro;
quem qui invenit, vadit
& vendit omnia, & emit agrum illum.*
Varii variè interpretantur. S. Hiero-
nymus de Christo & Evangelio:
Sanctus Augustinus de Scripturâ Sacrà:
S. Chrysostomus de Doctrinâ Evange-
licâ, Fide, Virtute, Gratiâ; quæ thesau-
rum absconditum Fidelibus conferunt,
exponit: Ager verò est Ecclesia; in

LII in

in quâ Evangelica Doctrina traditur, & custoditur. Nos verò symbolice non incongruè Societatem nostram minimam (aut quemvis Ordinem Religiosum) agro comparamus, in quo thesaurus ingens, sed absconditus lateat, qui divinâ inspiratione, illustratione ac vocatione, nobis detegitur: Quisnam verò est iste thesaurus? Est Paupertas Evangelica; in Evangelicâ Doctrinâ fundata, laudata, omnibusque Religiosis unice commendata; verè magnus thesaurus, omnibus mundi gazis longè excellentior; sed à Mundanorum oculis absconditus: Latet enim in eo major salutis æternæ securitas: latet in eo Perfectionis Christianæ & religiosa dignitas: latet in eo cælestis gloriæ ac beatitudinis æternitas; imò D e u s ipse dives in omnes & super omnia, infinitos in se thesauros complectens, quibus aliquando in celo ditabimur, fruemur, & beabimur. Montrato igitur nobis hoc thesauro, ejus pretio allesti, eum nobis comparare decrevimus: Verùm quoniam nec agrum dictum, nec thesaurum obtinere nobis licuit, nisi cuncta, quæ in mundo possidebamus, desereremus; mente generosâ resolvimus, quocumque demum pretio staret, illum nobis acquirere: atque ita domos, agros, pecuniolas, ceterasque reulas nostras, quas possidebamus aut à parentibus expectabamus, reliquimus; & agrum hunc emimus, ac thesaurum reperimus; Thesaurum cælestem in eo latentem præstolantes: *Vade vende omnia quæ habes & da pauperibus & habebis thesaurum in celo.* Matth. 19.

Ad hunc thesaurum Paupertatis integrum, inviolatumque servandum SS. Ordinum Fundatores, & in primis Sanctus Pater noster, nonnulla verò, quæ thesaurum minuunt, aut laesunt, qualia sunt 1. Mutuò dare. 2. Accipere. 3. Dispensare absque Superioris facultate, quæ in præsentem, rationibus, casibus nonnullis particularibus atque exemplis declarabimus.

I. Tria, ut diximus, Regula veteris quæ de thesauro paupertatis quicquam tollunt aut furantur. Primum est mutuò dare. Secundum mutuò accipere. Tertium dispensare quidquam de eis, quæ domi sunt, nisi Superiori consensu & assensu præstiterit. Verat igitur Regula quicquam dare vel accipere, sive mutuò, sive absolute, idque tam domesticis, quàm externis, aut etiam nobis incipit: atque hoc interpretandum strictè etiam de rebus minimis, nisi aut generaliter, aut specialem à Superiore facultatem obtinuerimus. Ratio est, quòd hoc omnia voto paupertatis repugnet; vi cuius reliquimus omnia, & facultate de ulla re mundi, pro libitu disponendi, nos abdicavimus: adeoque hoc Voto obstringimur, ad nihil omnino habendum, tanquam proprium; seu propriam voluntate possidendum, dandum, accipiendum, aut alienandum: sed omnia illa fieri oportet, voluntate Superioris, qui bonorum illorum est Administrator. Gerere itaque nos debet in Religione, tanquam Peregrinam in diversorio, aut tanquam pauperem in aliena domo, ad quos nihil horum, quæ domi sunt, pertinet. Ubi

Peregrinus in itinere pernoctans in hospicio, aut pauper in ædibus alienis, nulli licetè mutuum dare potest scutellam, scyphum, vitrum, librum; multò minus cibum, potumve dispensare: sed si quis ista ab ipso peteret, responderet: Ego hic sum peregrinus, ista non sunt mea, ac proinde dare ea nequeo, nominum domus aut cauponem accede. Longè magis religiosus Voto obstrictus, omni dominio & usu proprietatis privatus, nequit quidquam dare vel accipere mercedè, aut dispensare absque facultate Superioris.

Verùm opponet & oggeret hinc quæpiam in Religione Tiro: Ego nullo hæcenus Voto obstrictus sum, ac proinde non obligor; licebit itaque mihi dare vel accipere absque scrupulo. Respondeo: nondum quidem edidisti Votum; sed Deo favente, emittes; adeoque interea teneris paupertatem observare. 1. Ex æquitate 2. Ad Probam seu probationem. 3. Ad dispositionem. 4. Ad gratiæ impetrationem, quâ dignus evadas, qui sanctæ Paupertatis Voto te obstringas, thesaurumque hunc incomparabilem acquiras. Quòd si verò, licet Voto nondum emisso, nunc paupertatem religiosam non diligas, neque serves; crede mihi, nec post Votum eandem debere observabis; aut etiam indignum te reddes, qui ad eam, Tirocinio absoluto, profitendam admittaris.

II. Verùm, quò Regulæ hujus sensus elucidatè clariùs, ad quædam particularia descendamus, quæ Paupertatis Thesaurum minuunt, & semper aliquid defalcant. Prænotatum tamen velim,

id quod in aliis Ordinibus leve fortassis, aut ex præsumptâ facultate licitum, in usu atque observatione paupertatis, censeretur, in Societate gravius & illicitum à Viris perquam eruditis judicari, idque ex mente Fundatoris, quemadmodum optimè declarat R. P. Oliverius Manaræus, Vir in Societate magni nominis, & hujus Provinciæ nostræ celebris olim Visitator, in epistolâ, ad R. P. Leonardum Lefsiûm, Virum pariter eruditissimum, editis que libris insignibus clarissimum. datâ Bruxellis 21. Novembris Anno 1603. In qua ad quæstiones nonnullas P. Lefsiûi responderet.

1. Quæstio P. Lefsiûi erat: num gravis foret defectus, si quis Dispensator aut Coquus dispenseret esculenta vel poculenta, in famulos, aut Fratres nostros, contra mentem Superioris, dando plura, vel alia, vel meliora, quam iis præscriptum est? Item si notabiliter excedat mensuram in carnibus dandis, contra ordinationem Provincialis vel Superioris. Idem est de habentibus elemosynas distribuendas ad portam. Respondit P. Oliverius, dubio procul esse gravem excessum: agit enim tanquam proprietarius, cum det, quod vel suum non est, tanquam infidelis dispensator: vel quod suum falsò reputat, tanquam rei dominus.

2. Quæstio: num gravis foret defectus, si quis pro vasculo nocturno fordido, ex loco communi, acciperet mundum, destinatum hospitiibus aut alteri, absque veniâ. Idem est de candelabris, emundatis, candelis, imaginibus

imagines in breviario alicujus reper-
tis? Respondit P. Oliverius, semper
vidi & audi in Societate, hoc judicari
grave: tum quia est aperte contra pau-
peratatem; tum quia est contra charita-
tem: quia domum turbat, molestiam
& sollicitudinem Praefecto peregrino-
rum creat, & strepitum in Domo reli-
giosa excitat. De imaginibus vel ex cu-
biculo, vel ex Breviario ablati, semper
grave judicatum est in Societate. Erat-
que olim Regula à S. Patre nostro tradi-
ta, ut nemo affigeret, vel refigeret ima-
gines, imò nec clavum quidem in cubi-
culo. infcio Superiore.

3. *Quaestio.* An Scholaſtici vel Ma-
giſtri noſtri, generalem habeant facul-
tatem accipiendi libros, ex parva Bi-
bliotheca parva vel magna, accipere
libros, infcio Praefecto Bibliothecae; id-
que ex ſpeciali, vel generali venia Su-
perioris: tum quia ſecundum Regulas
Scholaſticorum Societatis, non licet iis
uti aliis libris, quam à Praefecto ſibi tra-
ditis: tum quia Regula octava commu-
nis expreſſè cavet, ne quis libros ha-
beat abſque facultate. Nec ſatis eſt, ſi
quis in libro notet, ſe librum quem-
piam accepiffe: nam & hoc fieri de-
bet, & alterum non omitti, prout
diſtinctis Regulis utrumque propo-
nuntur.

4. *Quaestio.* An ſit communis facul-
tas mutuo ſibi concedendi ſcripta, præ-
fertim ad multos dies? Respondit ne-
gative: Aſſerens ſe nunquam audiviſſe
hanc facultatem communiter omnibus
conceſſam eſſe; ſed ſe particularibus ſæ-
pe conſuluiſſe, ut ad redimendum tem-

pus, facultatem generalem peterent.
Rationem etiam addit; quia ipſi ſolum
habent uſum ſcriptorum: uſuarius quo-
tem non poteſt alteri concedere uſum
notabilem; ſed hoc eſt tantum uſuſu-
ſuarium aut proprietarium.

5. *Quaestio.* An ſit venia generalis
ad commodandum viciliſim chartam,
calamos, &c. Respondit non eſſe hinc
quoties in viſitatione deprehenditur
praxin inter noſtros, quali ex venia
praſumpta, monuit, ut ſaltem pete-
rent veniam generalem: quia ſub hoc
officio charitatis, poteſt latere vitium
proprietatis; & in re modica, vel quan-
do Superior adiri commodè nequit, ſe-
res non patitur moram; eſt etiam epi-
ſcopia locus.

6. *Quaestio.* Utrum in Societate ce-
ſeatur gravis illa libertas, qui quidem
accipiunt poma, pyra, ceraſa, aut
ex horto, culina vel diſpenſa, aut et-
tiam eſculenta & poculenta ſine ve-
nia? Respondit: hoc tam grave vitium
putabatur à S. Patre noſtro, ut pro-
pter hoc potiffimum induxerit in con-
ſuetudinem, ut poenitens in Societate,
ante omnia peccata, manifeſtaret, ſi
quid abſtuliffet ſine venia, vel non. Et
hucufque perſeverat ille uſus apud mo-
ſtos, ut initio confeſſionis dicant: Ego
nihil accepi vel dedi ſine venia: vel
contra: accepi aut dedi tale quid ſine
venia. Porro auſſerenti pomum vel
alium fructum jacentem in horto ſub
arbore, dabatur abſque remiſſione di-
ſciplina publica tempore Sancti Patris
noſtri. Idem eſt de floribus judicium.
Et ſanè Superiores malè faciunt, qui
negligenter hæc ſervari curant, cum

ex his, licet parvis, magni & intolerabiles defectus in Societatem possint irrepere.

7. Quæstio; utrum si quis ex tacita ratiabitione, tale quid dederit, usus non habeat, postea Superiori indicandi? Respondit affirmativè: quia juvat ad bonam administrationem, & posset alias ostium aperiri magnis abusibus & laxitatibus. Hæc P. Oliverius ad P. Lessium.

Ne igitur hi defectus, ex inastimabili paupertatis thesauro, quædam & creditò accidant & subtrahant; eos quam possimus diligentissimè caveamus. nec parvi ducendos esse existimemus, cum viri doctissimi graves esse judicant; ne paulatim ac sensim sine sensu in graviores prolabamur.

III. Quò autem hanc de paupertatis accurratione, doctrinam perspiciamus clariùs, eandem exemplis nonnullis comprobabimus. Quàm exactè hunc paupertatis thesaurum custodiri, observatque voluerit S. Patriarcha noster, variis occasionibus luculentè demonstravit. Anno 1556. iussit vir sanctus P. Sebastianum Romæum publicam in tridinio poenitentiam facere, ac præterea in mensa minore, solo pane & aquâ contentum esse: die verò insequente, nihil etiam cibi capere, priusquam orbiculos quosdam factos (agnos Dei vocant) ad ipsum detulisset, eò quòd absque expressa licentia Superioris, quibusdam nostris similia munuscula distribuisset. Ita MS. Ingolstadt fol. 32.

Idem S. Pater cum Romæ per fenestram suam videret P. Balduinum ab Angelo, adhuc puerum, unum uvæ

granum ex vinea accipientem & comedentem: conscientia ejus arbitrum monuit, ut ad exhæmologesin venienti, diceret casum esse reservatum Patri Ignatio: neque enim dubitabat, quin id in tribunali sacro aperturus esset, ob consuetudinem supradictam puncto 2. n. 6. Balduinus valde turbatus venit ad P. Ignatium, grave à se delictum commissum esse existimans, qui eum consolatus, ad conscientia directorem pro absolutione obtinenda remisit. *Lancie.*

Qua de causa illustres in Societate viri, perfectionis admodum studiosi, ut paupertatis thesaurum illibatum tuerentur, hæc in parte existere, quàm exactissimi.

R. P. Leonardus Lessius antè laudatus, doctrinæ & virtutis eximie, opinione, celeberrimus, pro omni rerum usu & abdicatione facultatem postulabat, usque adeò, ut cum externus non nemo, imaginem quampiam pro memento yno peteret, eo ad portam relicto, torà domo, diu multùmque P. Ministrum quæreret; cumque is in extremis finibus tandem repertus, miraretur, illum, tantillam ob causam, pedibus adeò malè affectis, vastissima in domo discursisse, & episcopi hic locum esse; reposuit Lessius: Pater, præstat antè securum esse. *In vita 6. 14. n. 80.*

Venerabilis Pater Nunnius è Societatis presbytero ad Æthiopiæ Patriarchatum evehctus, licet Societatis legibus non amplius stringeretur, tamen, quia Goræ cum nostris habitabat, pro minimis rebus à Subministro veniam petebat, de quibus etiam Fratres communiter veniam non rogabant: atque

ita omnibus amabile paupertatis exemplum reliquit.

R. P. Thomas Sanchez vir raræ eruditionis ac virtutis, absque Superiorum facultate nihil omnino dabat, aut accipiebat, licet minutissimum, atque ut ipse inter proposita reculerat, nec solum. *In vita, itinere præfixa.*

B. Aloysius Gonzaga, Scholasticorum nostrorum lumen inclytum, papyrum rogatus, non prius dedit, quam à Superiore dandi facultatem obtinisset. *In vita.* Simili ratione, Joannes Bergmannus, miræ innocentia & sanctimoniam opinionione apud nos celebris, totâ vitâ deploravit, quod aliquando fratri cuidam imaginem dedisset, non impetrata facultate à Superiore, quem tamen quaesierat, facileque consentitum putârat. *Vita parte 2. pag. 139.*

Taceo brevitatis gratiâ, illustria exempla aliorum ordinum; notum est in primis illud, ex Historia Cisterciensi, de Religioso, qui, quia frustum panni antiqui, sine venia Superioris, acceperat, vestique suæ reficiendæ insuerat, cum morti proximus esset, Diabolum conspexit, panni istius lacinia insidere, eam lambere, variisque gestibus ostendere, quantopere ista sibi lacinia placeret.

Religiosus verò facillè intellexit, quantum paupertatis puritati repugnet, rem etiam minimam, absque Superioris licentia usurpare.

Quare, Dilectissimi, ut præstantissimum paupertatis thesaurum, in agro Societatis absconditum, illa sum, incognitumque conservemus, ac ingentibus in eo latentibus divitiis fruamur, Regulam præsentem, quam accuratissimè servare conabimur. Nihil omnino ex domo absque generali aut speciali Superiorum facultate dabimus mutuo aut accipiemus. De nulla re, absque venia, ordinabimus, aut disponemus, sive sive esculenta, sive poculenta, sive libri, sive imagines, sive vestis, sive suppellex. In primis verò attendemus, ne pyra, poma, nuces, uvæ absque licentia, decerpamus, aut etiam sub arboribus reperitæ clepamus, quod S. Ignatius tantopere improbavit, ac poenâ severâ castigavit. Sed quidquid in his agimus cum venia speciali, aut saltem generali faciamus. Hâc ratione thesaurum paupertatis inviolatum custodiemus, & thesaurum indeficientem in cælis obtinebimus.

Beati, enim, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cælorum.
Matth. 5.

